







1-595,3

IN QVARTVM METEORORVM

Disputatio II

9

DE CONCOCTIONE

Proposita in illustri Iulia

A

M. DVNCANO LIDDELIO SCOTO

mathematicum professore

quam publicè defendere conabitur

ADAMVS LVCHTENIVS Huxariensis.



HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

cl. l. xcv.





MAG. NOB. ET CL.^{mo} VIRO, DN. IO-
ANNI IAGEMAN. CANCELLARIO BRVN-
suig. &c. dn. ac fauctori suo obs. do.



Vo tempore huic labori extremam manum impo-
nerem, magnifice vir, fautor obseruande, nihil mi-
nus cogitavi, quàm aliquid nunc primùm sub vllius
patrocinio & nomine in publicum emittere, aut hoc
quidquid est, tuæ mag. inscribere: tantum animus
erat, vt in mathematicis, ita in cæteris disciplinis, in
quibus ætatis aliquid consumpsi, iuuentuti quoquo
modo inferuire, & his iucundis planeq; necessarijs exercitijs alios ex-
citare, alijs ad limpidiore fontes viam aperire; quod hucusq; me se-
dulò conatum fuisse, non dubito. Nihilominus cum hos labores, &
qualescunq; conatus mag. tuæ (vt in litteras, & peculiariter in hanc
academiam affecta est) displicere non posse, mihi certo persuasum
habeam; ausus equidem nunc demum fui, has quasi primitias tuæ
mag. omnium primò inscribere, & sub nominis tui auspicio in lucem
emittere, submisit rogans, vt hoc quidquid tandem laboris est, velut
perpetuæ obseruantiaæ meæ testem, & publicæ alicuius industriaæ so-
lum indicem tantisper suscipere non grauetur, donec in his physiolo-
gicis & in mathesi (quæ nescio quomodo aut sprete aut neglecta pas-
sim ferè nunc iacet) alia maioris ingenij & industriaæ erunt. Vale
vir magnifice. Ex Academia Iulia vi. Kal. Aprilis clo lo vc.

Tuæ mag.

obs. mus.

M. Duncanus Liddelius Scotus.

THESIS I.

Dicitur mixti generationem, qua forma & existentia acquiritur, concoctione, qua forma illa conseruatur, mixtum completur, & absoluitur, nihil mixto magis naturale esse potest: proinde à generatione mixti eiusq; naturali corruptione, de concoctione, qua generationi coniunctissima est, maximèq; cognata, dicemus.

II.

Est quidem utraq; & mixti perfecti generatio, & concoctio, perfectio quadam in materia, que humido & sicco designatur, sed generatio pluribus tribuitur, & certis naturis siue formis non definitur ut concoctio. Nam licet sine aliqua concoctione mixti perfecti generatio nulla fiat, simpliciter tamen & propriè nihil quod concoquitur, quatenus concoquitur, generari dicitur, sed aliquo modo, & alicuius tantum respectu.

III.

Tribuitur enim $\alpha\epsilon\psi$ & ei opposita $\alpha\pi\epsilon\psi$ à certis natura definitis subiectis, siue substantijs mixtis ratione materiae indeterminatae, quae oppositis partibus denotatur, sed concoctio, quatenus à calore materia illa definitur, & perficitur: Cruditas verò quatenus ob defectum caloris imperfecta, & indeterminata relinquitur.

IV.

Verum eodem modo concoctio non semper intelligitur. Nam duobus modis sumi potest, uno, pro via ab imperfectione ad perfectionem, siue pro ipsis alterationibus, quibus materia in mixto indefinita, & in potentia, determinatur & ad perfectiorem mixtionem deuenit.

V.

Haec alterationes unius generis non sunt. Nam non solum calefactio, sed & exiccatio, & humectatio aliqua, secundum diuersas illius, quod coquitur dispositiones, & partes, in concoctione concurrunt, ac ex accidente, ut calor immodicus contemperetur, vel ut moderatus & proportionatus ne exhalet, intus cohibeatur, frige factio conducit, primariò tamen calori vis tribuitur, qui mutuas partibilium actio-

nes definit, & complet, ac ad eum quem à natura destinatum habet finem mixtum perducit.

VI.

Alio modo & propriè concoctio sumitur pro extremo illarum omnium alterationum termino, siue pro perfectione & absoluta dispositione in mixtis acquisita per motum, à qua si declinent, nisi ad perfectiorem naturam promoueantur, ad naturalem corruptionem propriè tendunt.

VII.

Itaq; concoctio dispositio quedam mixti erit media inter àπεισιον, & naturalem mixti corruptionem, quæ putrefactio dicitur, & v-
zrig, certo modo opponitur. Nam cruditati ut actus & perfectio potentia & imperfectioni, à qua in actum perfectionis mixtum deducit, & putrefactioni, quod putrefactio absolutam elementorum in mixtis iam concoctis συνεργον dissoluat.

VIII.

Hoc modo ab Arist. definitur concoctio, perfectio à calore naturali & proprio ex oppositis patibilibus, propria scilicet unicuiq; materia.

IX.

Perfectionem vocat, quod mixtum tum demum perfectum beneq; dispositum, & ad omnes actiones & passiones naturales idoneum esse intelligitur, quando concoctum est, & ad perfectam illius speciei dispositionem perductum: Ea perfectio absoluta mixtio est ratione finis, ad quem à natura tendit, licet interim fiat, ut aliquid concoctum & perfectum dicatur, vel temporis ratione vel usus alicuius gratia

X.

Concoquitur verò in mixtis id propriè, quod calor insitus domare, definire, & perficere potest. Definitur materia mixti indeterminata quæ oppositis patibilibus sicco & humido designatur, sed præcipuè humido, in quo velut in exorbitante, definitio, indefinitioq; notatur, & intelligitur. Humidum autem illud indeterminatum sicco non debite permixtum & unitum, duplex est, aliud spumosum, flutulentum & turgidum, aliud aqueum.

XI. Con-

XI.

Concoquitur quidem & desinit calor non per se absolute, sed ut instrumentum natura agentis, calorem dirigentis, & gubernantis ob certum finem, deinde ut calor materia proportionatus fuerit, ἀλόγως non deficiens nec excedens. Cui verò propriè tribuatur, & cuius respectu calor ille proprius & insitus ab Aristot. dicatur, dubitari non iniuria poterit.

XII.

Calor quidem unus ab alio specie differre nulla certa ratione iudicatur, sed cum sit primarium instrumentum quo efficax est natura, diuersus calor iudicatur diuersorum utentium respectu.

XIII.

Omnis verò calor naturalis dicitur ut in siccum & humidum, dominium habet, & mixtum perficit, cui calor ἑσθῆς & ὑγρῆς opponitur: sed si naturalis ille mixto homogeneo proprius fuerit, ὁμοειδῆς, sin animato cordori dissimilium partium, quia quod natum est, auget & conseruat ἑμψυχῆς siue innatus calor vocatur, ita & calor in semine proprium alteratricis & formatricis instrumentum plasticus vocatur.

XIII.

Inest igitur unicuique mixto perfecto calor aliquis ei connatus quo gignitur, & in seipso perficitur, sed eo respectu ab imperfectiore specie & natura ad perfectiorem non permouetur. Vbi verò mixtum ab imperfectiore natura ad perfectiorem permouetur, & ad alterius perfectionem refertur aliud est concoquens aliud quod concoquitur, licet calor illius quod concoquitur ob temperamenti aliquam similitudinem plurimum conferat; primario tamen natura perfectior instrumenti proprii & insiti caloris illud quod concoquitur quatenus fieri potest in suam naturam & speciem conuertit, & vicissim, quod concoquitur aptum natum est, ut ita transmutari, & à calore concoquentis, velut proprio & insito desiniri ac perfici queat.

XV.

Ab huiusmodi calore proprio & insito principium omnis naturalis concoctionis contingit, licet ab alieno externo aliquo interdum



adiuuetur & compleatur, & calor proprius materia planè proportionatus efficiatur.

XVI.

Nam cum demum perfecta concoctio fieri intelligitur si proprius calor adiutus externo ita materia proportionatus fuerit ut indigestum humorem partim absumere, partim coercere, & cum sicco perfecte miscere valeat, ac ad finem à natura destinatum mixtum perducere queat, quod si ad eum finem calor mixtum perfecte perducatur, concoctio perfecta erit, sin ob materia imperfectionem, vel aliquo usque tantum, vel ad utilioremodum aliquem substantie modum, imperfecta dici concoctio illa poterit.

XVII.

Finis qui concoctione acquiritur duplex est: nam vel noua quedam natura, siue substantialis forma per concoctionem oritur, vel nouus substantie modus, siue substantia accidente quodam perficitur: noua substantia acquiritur perfecta concoctione, nouus substantie modus ut plurimum imperfecta, cum humidum indeterminatum per assationem, elixationem, putrefactionem, aut aliam quamcumque calefactionem tantus vel talis efficitur, siue ad magis utilem naturam vel vsibus humanis dispositionem & modum reducitur: Nam nisi ad perfectiorem naturam aut substantie modum, mixtum actione caloris promoueatur, potius corrumpi, quam concoqui, aut perfici dicitur.

XVIII.

His ita definitis quia mediante calore velut instrumento certis subiectis & naturis concoctio tribuitur, ad exquisitam concoctionis considerationem operis precium esse videtur ante omnia determinare, quae ille naturae sint quibus tribuitur concoctio, & quae causa calorem ut instrumentum moderantur & dirigunt.

XIX.

Calorem autem, ut instrumentum proprium, gubernat, & ad determinatum finem dirigit natura aliqua definita, vel ars naturae imitatrix, hoc respectu duplex erit concoctio, alia naturalis, à natura aliqua definita, alia artificialis ab arte. haec instrumentis illis naturae quae naturaliter mouentur eorumque operationibus modum praescribit, siue mu-

sive mutationes naturales moderatur, & ad certum finem tantum dirigunt.

XX.

Quare quæ ab arte non propriè sed alicuius naturalis concoctionis respectu Concoctio dicitur, imprimis verò ventriculi. nam quæ in culinæ ignis vi preparantur non alia ratione concocta dicuntur, quam facultatis transmutantis ventriculi respectu cui præcipuè destinantur, & ad huius caloris proportionem hac preparatione rediguntur. Hæ omnes siue preparationes siue concoctiones ad elixationem vel assationem propriè referuntur.

XXI.

Naturalis concoctio elementis non tribuitur, nec mixtis omnibus sed ijs solum quæ omnium elementorum mixtione sunt ratione materiae indeterminatae quatenus à calore perfectè transmutatur & permiscetur. Nam quæ perfectè compositione oriuntur certum mixtionis modum habent, & ex mixtione crasin quæ omnia sine calore deficiente, & siccum cum humido uniente fieri non possunt.

XXII.

Deinde mixta ut genita sunt statim perfectè non evadunt, sed postmodum perfectionem comparant, calore naturali vincente & ad perfectiorem mixtionem opposita patibilia siue primitus in sine siue perfectionis gratia posterius accedant deducente: quo nomine concoctio complementum generationis mixti vocatur.

XXIII.

Igitur aliquo respectu inanimatis quibusdam ut mineralibus & similibus certa quadam concoctio non adimitur. Nam licet externam determinationem aliundè habeant, tamen absq; omni concoctione materia istorum non transmutatur nec terreum cum aqueo perfectè permiscetur.

XXIII.

Proprièssimè corporibus anima præditis concoctio tribuitur. Nam natura animalium mediante constitutione naturali partium solidarum in quibus facultas subsistit: deinde mediante calore innato proximo anime instrumento, qui spiritus insitus & innatus à nonnullis dicitur, ad salutem & conservationem corporis omnia molitur & persi-

& perficit. Facultas autem iuxta constitutionem in primis verò temperiem unicuique parti propriam agit, cui compositio & unitas perfectionis & usus gratia inseruiunt. Calor verò innatus communis in omnibus partibus facultatum custos est.

XXV.

Huc sine dubio respiciens Hippocr. totum animatum corpus conflatile & conspirabile miro omnium partium consensu esse pronunciauit, & quod inanimatis denegatur facultatibus illis præditum esse, quibus omnia naturalia munia ad sui conseruationem præstet.

XXVI.

Conseruatur autem corpus iuuantibus, leditur superfluis & nocentibus, conseruatur in indiuiduo nutritione, in specie generatione, in singulis sua peculiaris concoctio requiritur.

XXVII.

Ad has operationes diuersas facultatibus diuersis prædita est animatorum natura, quæ in animalibus sanguine præditis plures numero sunt & euidentius conspiciuntur. Nam quanto aliqua perfectiora sunt, in eorum & productione, & conseruatione, natura pluribus indiget.

XXVIII.

Facultas illa operationis causa, quæ in solidis consistit & à temperamento partium singularum dependet, nunc assimilatrix, nunc alteratrix, nunc concoctrix à Galeno dicitur, cui ceteræ tres facultates nimirum attractrix, retentrix & expultrix famulantur & inseruiunt.

XXIX.

Ac primum nutritio propriè nihil aliud est, quam naturalis partium animati corporis defluxus restauratio, ex alimento in substantiam ipsius conuerso. Conuertitur verò quod nutrimentum actu est, vel in potentia, id est, quod futurum est alimentum vel quasi alimentum per concoctionem. Concoquitur quidem in animalibus perfectè alimentum à mæsis incipiens per ventriculum & venas deducta donec in membris perficiatur, nihilominus antequam in substantiam corporis conuertatur, & perfectè animetur, à triplice diuersa facultate in tribus diuersis locis naturali serie alterari & perfici debet.

bet.

bet, quæ concoctiones, vel prævia alterationes, vel preparationes ad generationem illam, quæ nutritionem consequitur dici poterunt.

XXX.

Nam nihil subitò, sed interuenientibus debitis mutationibus, in contrariam qualitatem abit; deinde nihil in diuersam naturam simul totum migrare potest, sed in qualibet concoctione portio aliqua materia, quæ oppositis patibilibus notatur, nimirum & sicci & humidi à calore natiuo perfectè non definitur, sed ut inutile & excrementitium illius concoctionis à natura separatur, ac proinde qualibet harum concoctionum alicuius putrefactionis particeps est, maxime verò prima

XXXI.

Prima autem concoctio fit in ventriculo, quæ ex cibo, facultate alteratrice ventriculi, chylus generatur: secunda in venis à facultate quidem alteratrice iecoris, sed non sine complemento cordis, quando ex chylo sanguis oritur. Tertia in vniversis animati corporis partibus existit quæ sanguis perficitur, & primum partibus appositus, deinde agglutinatus ita tandem assimilatur, ut vnum cum ipsis sub communi forma fiat, & non solum defluxum naturalem restituat, sed etiam augmentum corpori ad consistentiam usq; præbeat. His concoctionibus præcipuè perficitur & conseruatur indiuiduum.

XXXII.

In generatione verò animati corporis non minus quàm in conseruatione, sua quadam peculiaris concoctio requiritur. Nam primum per Concoctionem quandam semen in animatis gignitur, deinde in semine facultas & formatrix, & alteratrix, siue concoctrix inest, quæ materia generationi à natura destinata, mediante calore plastico perficitur, & ad formam animati corporis præmouetur.

XXXIII.

Præterea non solum ut conseruetur, & generetur animatum necessaria est concoctionis perfectio, sed quoq; ut à noxijs nonnullis causis liberetur, quæ materia siue humorum & excrementorum vitio contingunt, quas sine certa quadam concoctione vincere, & citra dominium caloris facultas expultrix, licet irritata à se amouere, & depelle-

depellere commodè nequit: ut in symptomaticis excretionibus videre licet.

XXXIIII.

Noxium autem illud unius conditionis non est. Nam aliud tantum in via ad perfectionem est, & ad benigniorem substantiam, natura utilem reducitur, ut pituita dulcis, quæ concoctione reducitur ad sanguinem: Aliud corrigi non potest, sed simpliciter superfluum est, vel excrementitium: hoc perfecte non concoquitur, sed tum demum concoctum iudicatur ubi vi nativi caloris est circumscriptum, & ita determinatum, ut à natura utilibus separari & per debitas vias expelli facile queat. Nam non solum in nutrimentorum sed etiam inutilium concoctionibus hunc ordinem servat natura, ut primò concoquat, aut quocumq; modo desinat, & euincat, deinde separat, tandem excernat.

XXXV.

Quare excrementorum, ut urine deiectionum sputi, puris & similium concoctio, bonæ valetudinis: inconcoctio siue cruditas malæ valetudinis, vel presentis, vel futuræ, signa erunt. Nam excrementorum concoctio dominium caloris nativi, & partium illarum, unde excernuntur naturalem temperiem, & constitutionem arguunt.

XXXVI.

In his inutilium concoctionibus finis semper est melior substantiæ modus, id est, qualitatum correctio, & putredinis cohibitio, quæ omnia à natura adiuta, interdum remedijs humoris qualitati oppositis, & ad mediocritatem reducuntibus, nunc calidis nunc frigidis perficiuntur.

XXXVII.

Quare respectu illius, quod concoquitur in humano corpore, triplex dici poterit concoctio, quarum una propriè est utilium, id est, alimentorum: altera propriè inutilium siue noxiorum: tertia eorum quæ mediam naturam habent, quibus tribus quarta à medicis addi solet, quæ magis preparatio ad inutilium expulsionem, quam concoctio dici debet, nimirum quando humores impacti ad expulsionem preparantur, & via siue meatus per quos feruntur relaxantur, & euacuationibus patent.

Ex his

XXXVIII.

Ex his omnibus quæ iam dicta sunt, facile intelligitur, omnibus quæ concoquuntur proprium esse, qualitates suas & primas & secundas mutare. Ac primo vincente naturali calore in humido, calidiora & sicciora seipsis fieri & cum his sapes mutare: deinde & humore exorbitante & partibus tenuibus partim resolutis, partim cum sicco permistis, totum quod relinquitur melioris molis & crassioris substantiæ fieri.

XXXIX.

Fit tamen ex accidente aliquo, ut quod concoctum est tenuioris substantiæ esse videatur cum sua natura non sit: vel quia à frigore prius constrictum & induratum fuit, vel alicui parti corporis impactum, vel quod per concoctionem sit à crassis inutilibus separatum aut humidis permixtum.

XL.

Concoctioni ἀπεψία inconcoctio nimirum opponitur, quam non dubitamus magis usitato vocabulo cruditatem appellare: non tamen eodem modo vocabulum cruditatis ab omnibus sumitur. Nam primum cum concoctio sit perfectio à calore proportionato in humido, omnis imperfectio à calore non proportionato siue deficiente siue redundante cruditas à medicis interdum vocatur, licet à redundante calore corruptio & δυσπεψία dici debeat.

XLI.

Deinde ἀπεψία & cruditas à caloris defectu bifariam usurpatur, uno modo pro omnimoda alterationis priuatione, quo modo carnes recens maceratae crude dicuntur. Alio modo pro alteratione quadam sed imperfecta, siue pro inchoata concoctione, quo modo propriè cruditas sumitur, & ἀπεψία concoctioni opponitur, continens sub se tres species analogicas oppositas tribus concoctionis speciebus. Priuatim verò cruditas pro immaturitate sumitur.

XLII.

Quare propriè ἀπεψία & cruditas à defectu proprii caloris siue à frigore accidit, in materia mixti, quam quidem calor ille alterare potest, vincere non potest: vel ob caloris ipsius imbecillitatem vel in

B a

defini-

definiti copiam. Ac proinde ἀπερὶ τῆς ὁδοῦ qua eisdem subiectis tribuitur eodemq; respectu quo concoctio, ab Aristotele definitur: imperfectio à caloris proprii defectu in oppositis partibus propria scilicet unicuiq; materia.

XLIII.

His definitis restat ut communissimas concoctionum differentias consideremus. Differentia Concoctionum communissime à caloribus ipsius varietate & operationis diuersitate sumuntur. Calor autem concoquens ad concoctionem uno modo non concurrat. Nam vel per se simpliciter, vel in humido, vel in sicco, subsistere intelligitur, ab unoquoq; horum concoctio fieri dicitur.

XLIII.

Nam ubi calor concoctionis causa per se simpliciter consideratur non proprio nomine περιουσίας concoctio illa vocatur: Vbi verò non simpliciter, sed vel in humido, vel in sicco subsistere intelligitur. Concoctionibus illis magis ab usibus humanis, & operibus artis, quam nature minus propria nomina imposita sunt: Nam ubi calor concoquens externus in humido subsistit, elixatio, ubi in sicco, assatio dicitur.

XLV.

His tribus à caloribus uniuscuiusq; defectu tres cruditatis species opponuntur, nimirum maturationi ὀμαλότης; elixationi μόλυνσις; assationi στένωσις.

XLVI.

Præterea in his concoctionibus respectu caloris quedam operationis diuersitas est, & unicuiq; calori suus agendi modus, quo à cæteris distinguitur. Nam in elixatione propriè dicta, calor humidus meatus reserans indigestum humidum elicit, & in assatione calor siccus meatus occludens, intus cogit & retinet. Maturatione utrumq; præstat. Nam calor internus humidum definiens partim intus trahit, partim foras expellit.

XLVII.

Hinc fortassis nonnulli asserere non dubitarunt in omnibus naturalibus concoctionibus generationibus & perfectionibus, has tres species certo quodam ordine succedere. Ac

XLVIII.

Ac primum in generationibus ac perfectis concoctionibus, maturacionem aliquid producere, deinde elixationem ab inutilibus separare. tandem superatis inutilibus calorem in sicco magis dominari. Præterea in genitis calorem humidum decursu ætatis in magis siccum permutari, & alium in pueris alium in iuuenibus concoctionis modum tenere, ac post consistentiam paulatim deficere cruditatesq; oppositas effigere.

XLIX.

Verum licet in perfectis quibusdam concoctionibus gradus eiusmodi sint, deinde calor uniformis in animatis non permaneat, sed aliter atq; aliter disponat, nihilominus an illi unius concoctionis gradus discrepantes concoctiones dici queant, aut an hæ diuersæ dispositiones in animatis appellatione elixationis & assationis contineri & intelligi debeant, non sine ratione dubitatur. Proinde duo restant explicanda. Primò quomodo his tribus concoctionis nomen conueniat, deinde, seorsim quæ concoctio aut perfectio appellatione maturitatis; elixationis, & assationis significetur, aut intelligatur.

L.

Ac primum cum calor in his tribus uniusmodi non sit, & pluribus natura differentibus inhereat, deinde hæ ipsæ species in ratione concoctionis per omnia non conueniunt, sed nonnullæ alterationes quedam sint concoctionis alicuius participes. Proinde de his tribus concoctio non uniuocè sed analogicè dicitur.

LI.

Nam unica concoctionis propriè dictæ ratio est, ad cuius similitudinem alijs omnibus concoctionis nomen impositum est. Verum ob inopiam vocabulorum non omnes quæ unius appellatione continentur unius nature sunt, sed pluribus interdum concoctionibus unum nomen impositum, est quæ tamen nec natura una sunt, nec in ratione concoctionis similia, ut infra apparebit.

LII.

Ex tribus autem illis speciebus πικρωτις maximè propria maximèq; per-

magis perfecta, & naturalis concoctio esse iudicatur, alterius alterationis minus particeps sumitur autem vocabulum maturitatis non semper eodem modo. Nam proprie πεπαιστος de fructibus dicitur in quibus succus est indigestus siue flatulentus, siue aqueus, qui à nativo planta calore adiuuante externo, ut solis, determinetur & concoquitur: hoc modo πεπαιστος definitur concoctio alimenti quod in pericarpio est.

LIII.

Pericarpium autem siue fructus cum seminis solius gratia à natura sit, finis & perfectio in maturatione proprie erit, quando semen, quod in pericarpio est eiusdem speciei plantam de se gignere potest. Nam in ceteris rebus, ut in animalibus, quoad omnes facultates naturales non prius aliquid perfectum iudicamus, quam ubi sibi simile generare potest. Fit tamen plerumq; sed ex accidente solum, ut fructus maturi dicantur, & perfecti, quando esui sunt apti.

LIIII.

Ob has easdem causas frugibus ac quoq; ceteris plantis, in quibus semen in pericarpis non continetur, maturatione non improprie tribuitur, ac ex consequenti animalium spermati, quatenus vel generatur, vel ad simile generandum insita vi promouetur.

LV.

Magis verò improprie, & per metaphoram solum ad alias res naturales, ac quoq; ad nonnullas artificiales vox maturationis transfertur, quatenus humor inutilis & indefinitus à calore determinatur & ad meliorem conditionem reducitur.

LVI.

Sic licet improprie in artificialibus fictilia & similia matura vel immatura dicimus. Deinde in naturalibus maturari dicuntur que humidum indefinitum habent quod à calore vel in substantiam animati conuertitur, vel tantum definitur, & ut superfluum à natura utilibus separatur.

LVII.

Ita non solum fructus, fruges, semina & similia, matura vel immatura dicimus, sed & fœtus, humores utiles, chylum, ac præterea
excre-

excrementa & excrementitios humores, ac quæ humorum vitio con-
tingunt, ut tubercula, tumores ex similia, imò interdum metalla,
&c. licet in his omnibus calor nunc siccus, nunc humidus domine-
tur. Peculiariter tamen ab Hipp. concoctio alimenti πείψις, concoctio
materia morbifica πείρασις ut plurimum vocatur.

LVIII.

Dominatur autem calor in materia si inutilem humoris partem
resoluens in halitus emisit, ac quod reliquum est intus trahens
cum sicco perfecte unierit, totumque cum toto permiscens melioris mo-
lis & crassioris substantiæ effecerit.

LIX.

Proinde maturitas qua in concretione & in spissescencia humi-
di consistit ex flatulentis aquea, ex aqueis terrea, ex tenuibus proprie
crassiora constituit.

LX.

ὀμότης quæ maturitati opponitur iisdem naturis tribuitur, sed
oppositis causis intelligitur. Nam proprie immaturitas est cruditas
alimenti in pericarpis, id alimentum est succus indigestus flatulen-
tus vel aqueus naturam frigidus & à frigore interdum constrictus &
induratus.

LXI.

Causa verò quod fructus hi non desinantur, est, quod calor sit mi-
nor quam ut coercere, aut succus ille copiosior quam ut coerceri, &
desiniri queat, ita ob caloris defectum in frigidis regionibus fructus
ad maturitatem non perueniunt, & ob humidi copiam in temperatis
quoque regionibus æstate & autumno pluuioso existente, vina austera
& aquosa proueniunt.

LXII.

Minus verò proprie & per similitudinem ὀμότης ad alia ad quæ
πείρασις transfertur, quæ cum apta nata sunt ut à calore cogi crasse-
scere, & perfici queant, ob defectum caloris imperfecta permanent.
Proinde ea quæ concoctione cogi & crasse scere nequeunt (veluti aqua
quæ sola liquidorum non crasse scit) matura aut immatura dici ne-
queunt.

Maturi-

LXIII.

Maturitas eiq³, opposita cruditas ab operibus nature appellationem habent, cetera due concoctiones que iam restant, in primis vero assatio ab operibus artis quibus in natura similia correspondent.

LXIIII.

Concoctio autem artificialis ab externo calore fit, magisq³ proprie dicitur quatenus vel facultatem aliquam vel concoctionem naturalem respicit, ut supra dictum est; sic ex omnibus artis operibus, que caloris vi perficiuntur debita alimentorum preparatio, qua ad caloris nostri & facultatis transmutantis ventriculi proportionem reuocantur, propriissime concoctio dicitur. Deinde apta medicamentorum preparatio, qua vel facultatem concoctricem iuuant, vel ad inutilium expulsionem facultatem expultricem excitant: ex horum similitudine improprissime ad alias artis operationes concoctionis nomen transfertur, quatenus vi caloris externi mixtum ab heterogeneis & inutilibus separatur, vel alio quocunq³ modo ad utiliore substantie modum reducitur.

LXV.

Ac primum alimenta apparantur & ad caloris nostri mediocritatem reducuntur per elixationem vel assationem. In medicamentis ut calori nostro apte consociantur he quoq³ operationes requiruntur. Nam medicamenta à calore vel in humido vel in sicco preparantur, licet diuersis quibusdam preparationibus diuersorum effectuum & intentionum respectu diuersa appellationes impositae sunt, de quibus nostri instituti non est hic dicere.

LXVI.

Elixatio proprie ab Aristotele definitur, concoctio à calore humido eius interminati quod in humido est.

LXVII.

Calor ille humidus elixans externus est contentus in humore magis aqueo quam pingui, & circumfusus corpori quod elixatur, ac comprehensus proprie vasis siue instrumentis artificialibus, improprie naturalibus; humidum vero illud indeterminatum corporis, vel fluitulentum & turgidum est, vel aqueum.

Elix-

LXVIII.

Elixatur itaq; corpus quatenus à calore illo externo quem continet circumfusum humor reseratur, humidum indefinitum corporis illius superatur, & in circumfusum humorem tantisper elicitur donec perfectè definiatur.

LXIX.

Proinde quæ in sartaginibus circumfuso pingui coquuntur ut frixa, quia pingue circumfusum vincunt, & ab eo non propriè vincuntur assari, & non elixari dicuntur. Nam à calore non in circumfuso sed per circumfusum frixa propriè patiuntur, nec ex frixis in circumfusum aliquid elicitur quod elixationis proprium est, sed ipsa pingue circumfusum non solum exiccant, verum in se trahunt & assumunt.

LXX.

Cum verò elixatio perfectio quaedam sit à calore quem continet circumfusum humor, alimentis quatenus ad caloris nostri proportionem reuocantur, propriè tribuitur. Deinde ijs omnibus quæ à natura insitum humidum habent, quod à calore humido definitur & perficitur.

LXXI.

Impropriè verò & per metaphoram res duplices elixari dicuntur, primò solida, quæ humidum quidem insitum habent quod à circumfuso humore non propriè superatur, sed elixari dicuntur, vel quia ab igni expurgantur (ut metalla licet improprissimè) vel quia aliquo modo emolliuntur, vel ab ijs in liquorem vis aliqua transfertur veluti ligna medicamentosa & medicamenta nonnulla, quæ in liquore non tam coquuntur ut ipsa perficiantur quam ut ex ijs virtus aliqua in liquorem vel iusculum eliciatur.

LXXII.

Secundo per metaphoram res liquida elixari dicuntur, ut lac, mustum & similia, quatenus à calore in saporem utiliore permutantur. Præterea vocabulum elixationis ad opera nonnulla nature transfertur. Cum enim elixatio sit concoctio à calore quem continet

C

circum-

circumfusus humor. Circumfusus autem ille humor instrumentis aut artificialibus aut naturalibus comprehendatur, erit elixatio quidem omnis vel artificialis vel naturalis, quanquam naturalis proprie sit concoctio elixationi tantum similis.

LXXIII.

Tribuitur autem concoctio naturalis elixationi similis proprie animatis ratione alimenti comprehensi vasis naturalibus ut à calore nativo perficitur, ita ciborum prima concoctio que in ventriculo fit elixatio aliquo modo dici poterit: deinde que in venis: Tertio que in membris. Improprissime verò inutilium concoctio elixatio dicitur.

LXXIII.

Artificialis verò elixatio fit à calore externo in humido circumfuso vasis artificialibus comprehenso. Humor autem ille in quo subsistit calor aut liquor aliquis est, ut aqua, vinum & similia, aut vapor.

LXXV.

Finis elixationis ab arte est, ut ad utilioremodum substantie modum magis, nature familiarem primò cibus & potus deinde medicamenta, & similia reuocentur. Modus autem ille substantie est, ut per elixationem crassiora, contractiora, & grauiora fiant, vel in partes heterogeneas resoluantur, & crassa à tenuibus separentur.

LXXVI.

Proinde que talem substantie modum non admittunt per se elixari non dicuntur, veluti nec aqua sola, nec oleum solum (licet alio modo concoquatur) elixari dicitur, sed quod ex utroque, hydroleum.

LXXVII.

μόλονος elixationi contraria iisdem naturis eodem modo quo elixatio tribuitur, sed ob caloris illius quem continet circumfusus humor defectum, hic defectus tantus non est, ut indigestum humidum nihil penitus transmutet, sed talis, qui quidem transmutare aliquousque potest vincere non potest. Ac proinde ab Aristotele desinitur: cruditas indefiniti corporis ob defectum caloris in humido circumfuso.

Postremo

LXXVIII.

Postremò assatio propriè nihil aliud est quam concoctio humidì indefiniti corporis alicuius à calore sicco & alieno. Hæc artis operibus præcipuè tribuitur, quibus licet in natura similes quædam passiones sint, veluti cum fruges & fructus solis calore torrentur, & in animalium corporibus, non tam ab humido quam à sicco calore ossa perficiuntur, tamen hæc passiones sine nomine sunt, nec assationis vocabulo intelligi poterunt.

LXXIX.

Assatio autem artificialis eiusdem finis gratia quo elixatio fit, & alimentis ijs solum tribuitur, quæ cum consistentiam habeant ad ignem & versari & perfici possunt. Itaq; quæ ad ignem, neq; versari vel liquores, neq; cum versantur perfici possunt ut ligna, assari nullo modo dicuntur.

LXXX.

Fit autem assatio propriè à calore igneo, sed alio atq; alio modo. Nam alia verubus transfixe assantur, alia in furnis, alia in cineribus & prunis, alia in patellis & vasis. Sub his frixa continentur quæ ex feruenti pinguedine ita coquuntur ut pinguedinem in se assumant & combibant.

LXXXI.

Præterea ad assationem infumatio referrì poterit qua alimenta quædam in fumo suspensa perficiuntur & ad vtiliorem substantiæ modum reducuntur aut facilius conseruantur.

LXXXII.

Fit autem propriè dicta assatio ubi calor siccus circumstans totum humidum indefinitum corporis omnesq; partes æquabilitate quadam ad debitam usq; perfectionem alterat, nihilominus in illa alteratione calor eodem planè modo partes omnes internas & externas non afficit. Nam propiores exterioresque exsiccans & cendensans poros & meatus primum occludit, quibus occlusis humor qui in interioribus partibus continetur non effluit, sed à calore intus concepto efferuescens ad interiora magis magisque cogitur, donec omnino perficiatur.

C 2

Quare

LXXXIII.

Quare illa alterationis equalitas secundum partes exteriores & interiores in eo consistit ut calor sensim subiens debite alteret, & non violenter & confertim ingruens exteriores partes deurat, interioribus adhuc crudis manentibus.

LXXXIII.

Ex his omnibus quae de elixatione & assatione dicta sunt, duo sequuntur. Primò assa natiuo humore (praecipue quoad interiores partes) magis quam elixa redundare. Deinde assare quam elixare maioris operis & difficultatis esse. Nam calor humidus equabilius multò agit, & non tam violenter, ac calor siccus ingruere solet. Proinde nec tanta artis moderatione elixatio quam assatio indiget.

LXXXV.

Tandem cum assatio à calore sicco proportionato fiat media dispositio videri poterit inter deustionem à calore sicco excedente & sc̄t̄v̄ōw à calore sicco deficiente. Verum cum deustio subiectum violenter tantum corrumpat, assatio ut concoctio & perfectio subiecti sc̄t̄v̄ōw ut imperfectioni eiusdem à calore deficiente propriissime opposita erit, licet vocabulum sc̄t̄v̄ōw illi affectioni proprie tribuatur, quae tostioni potius quam ipsi assationi opponitur.

COROLLARIA.

I.

An in animato corpore omne concoquens suo concocto nutriri queat, ut ventriculus chylo, testes spermate &c.

II.

An in nutritione concoctionem priorem posterior corrigat.

III.

*Radices plantarum licet caeteris partibus acriores interdum sint, succum tamen magis crudum minusq; elaboratum
conti-*

continere cum Mnesitheo affirmamus, ac simpliciter verum non esse illud Galeni. 2. de Alim-Fac. succum illum quem perfectè non concoquit radix in caulem velut partem minus necessariam tantum excernere.

Parerga.

Mathematica, Logica, Ethica, Physiologica.

I.

Cum duæ solùm animæ humanæ facultates sint, quibus à brutis homo distinguitur, mens nimirum & voluntas: Philosophia animæ humanæ perfectio duas tantum partes habebit, Theoreticam & Practicam. Sermo autem, circa quam Grammatica, non est facultas, sed facultatis interpres, conceptuum animi character & symbolum. Logica vero propriè dicta est instrumentum mentis ad verum cognoscendum, sicut Rhetorica voluntatis, impellens ad aliquid suscipiendum vel omittendum.

II.

Cum tres discrepantes hypothèses sint, quibus apparentiæ coelestes saluantur & explicantur, quarum vna est Ptolemæi: altera Copernici. Tertia est illa cuius meminit Tycho Brahe lib. de Cometa anni 77. dubitatur an aliqua ab his omnibus diuersa dari possit: deinde quænam harum, apparentijs magis congruat.

III.

Cum nulla necessaria ratio adhuc tradita sit, qua apparentis motus (vel Lunæ) in verum resoluatur, aut ex solius apparentis loci mutatione, quæ triplici diuersitate fere semper implicatur, Parallaxis differentia inter verum & apparentem locum perfectè inueniatur. Dubitatur vtrum cum Aristotele potius sentiendum sit, mutabilia ab immutabilibus, vt naturis, ita locis distingui & separari, quam

cum recentioribus nonnullis Cometas in caelesti regione tantum subsistere.

IV.

Cum impossibile sit omnes Geometriæ & Arithmeticæ propositiones reciprocas esse, aut vllam disciplinam ad tres illas non leges sed necessariarum propositionum condiciones *κατὰ παντός, καὶ αὐτὸ, καθόλου πρώτον* confirmari. Proinde in Geometria vbi propositiones reciprocae occurrunt nisi vtraq; & conuertens & conuersa demonstretur, (quod in Euclide P. Ramus cauillatur) an reciprocae sint semper dubitatur.

V.

Rationum & proportionum doctrinam quam Euclides quinto elementorū libro proponit licet Arithmeticæ non magis quam Geometriæ propria esse videatur, nihilominus omnibus subiectis aut disciplinis communis non est, multò minus ad Logicam (scilicet ad locum comparatorum vt quidem somniant) referri poterit.

VI.

Ethica propriè nec scientia nec ars dici potest, multò minus sapientia aut intellectus, an verò prudentia dici queat non sine causa dubitatur.

VII.

Nullus affectus in corpore subitò genitus intemperies propriè est, aut per intemperiem definiri potest.

VIII.

Cum ijsdem, teste Aristotele & Galeno, nutritio & conseruatio fiat, quibus generatio: si in humano aliquo corpore aliquid miraculosè exstiterit, cuius caussa reddi nequit; dubitatur, an vel probabili ratione dici queat, à nulla caussa & principio naturali, in illo corpore genitum esse, nutriri verò naturaliter, eodemq; modo ijsdemq; principijs, quo ipsum corpus.

FINIS,

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





ULB Halle
003 338 150


3




TA-OL

VD 77







IN QVARTVM METEORORVM

Disputatio II

DE CONCOCTIONE

Proposita in illustri Iulia

A
M. DVNCANO LIDDELIO SCOTO
mathematicum professore

quam publicè defendere conabitur
ADAMVS LVCHTENIVS Huxariensis.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
cl. l. xcv.

1-595,3

9/

